



## II. Abtheilung: Mittheilungen.

### Ein Rückblick auf die grosse Pest in Oesterreich und auf gleichzeitige Vorkommnisse in Heiligenkreuz und Umgebung.

Nach dem Berichte eines Zeitgenossen<sup>1)</sup> mitgetheilt von Fr. Tezelin Halusa, O. Cist.

Vitam humanam esse vaporem sapiens agnovit Seneca asserens: Nihil tam aequae tibi profuerit ad temperantiam omnium rerum, quam frequens cogitatio brevis aevi et huius incerti. Quidquid facies, respice ad mortem (Epist. 114). Sapiens cum tranquillitate cogitat: non aliter, quam in navi et mari, ventos et vela spectat, quibus fertur in portum.

Tendimus huc omnes, metam properamus ad unam:

Omnes sub leges mors vocat atra suas. (Ovidius.)

Et iterum nihil sane certius revocat homines a peccato, nisi imminenti mortis cogitatio, et meditatio, quam universae proposuit Austriae annus iste tragicus, pestifera lue infectus. Ad avertendam eam Celsissimus Princeps Episcopus Viennensis Sigismundus Comes a Kolloniz mandato Augustissimi Imperatoris ieiunium in pane et aqua tribus subsequentibus feriis sextis observandum indixit, primum hoc ieiunium 13tia Januarii inchoatum et aliis duabus feriis assignatis est finitum.

Sapienter D. Gerardus hoc triduanum amplexus est ieiunium a suis non tam regularibus quam a saecularibus stricte observari. Sapienter instituitur ieiunium, quia vitia comprimit, mentem elevat, spiritum sublevat, carnem spiritui subicit, iratum placat Deum. Oratio ieiunio coniuncta est potentior, quia poenam populo inflictae Deus facilius remittit immo condonat. Sapienti D. Gerardi

<sup>1)</sup> R. P. Daniel Scheuring, Cistercienser v. Heiligenkreuz, in seinem Werke über den Abt Gerhard, der v. 1705—1728 regierte. — Die folgenden Daten erstrecken sich auf die Jahre 1713 und 14.

ordinatione facta omnia fuerunt in salvo. Haud infringere potuit pestifera lues, ubi oratio singulis diebus pro avertenda contagione ad Deum propitiandum ferventissime est effusa. Unicus religiosus<sup>1)</sup> confessiones poenitentum excipiens peste est infectus et e terris sublatus.

Sapienter D. Gerardus circa monasterii utilitatem et religiosorum victum providus disponit, ut necessitati undequaque subveniret, maxime dum passus viarum ex regno Hungariae propter contagionem in Austriam occluderentur. Erumpente iam iam palam in civitate Viennensi contagiosa pestis lue sunt clausae in Universitate et Domo professa Societatis Jesu scholae, conciones interdictae, attamen in publicis foris declamatae, uti et consuetae, in basilica S. Stephani et aliis ecclesiis litaniae aliaeque devotiones publicae sunt intermissae.

Inter mundanae mala confictantia vitae  
Saepe quidem Domini corripitur populus.  
Qui tempestatum varia sua clade laborant,  
Noscant se iusti ferre flagella Dei.  
Atque ipsum toto gemitu planctuque precentur,  
Ut qua scit miseris auxilietur ope.

(Jacobus Billius, Anthologia).

Bona est oratio cum ieiunio et eleemosyna magis quam thesauros auri recondere. (Tobias, 12, 8.) Ideoque rursus instituitur per dioecesin Viennensem ieiunium triduanum in pane et aqua trigesima Martii secundum sacrarum paginarum: Scitote, quoniam exaudiet Dominus preces vestras, si manentes permanseritis in ieiuniis et orationibus in conspectu Domini (Judith, 4, 12.). Videbatur pestifera lues ad Deum effusarum precum et ieiunii ergo minuta et remissa adeoque post Paschalia festa scholae frequentandae reserantur.

Hoc pestis tempore ad totius urbis Viennensis stuporem magnanima et heroica virtute Augustissimus Imperator Carolus VI. totusquantus in Deum confidens ex urbe minime recessit. Praesentia Augustissimi Imperatoris hoc emolumenti effecit, ut maior cura, maior vigilantia circa pestiferos adhiberetur et circa passus viarum ingredientis populi exacte observandos. Recessit tamen consilio archiatrorum suorum Augustissimus Imperator consuetae relaxationis causa in Laxenburg, ut curis imperialibus oppressus animus eius sanitatis gratia falconibus instructis ad varias et certas aves capiendas exhilararetur secundum tritum illud poetae canentis:

Interpone tuis interdum gaudia curis.

(Ovidius).

---

<sup>1)</sup> Nach P. Höffners »Corona fratrum« P. Alexander Standhartner.

Augustissimo Imperatori ut in Laxenburg vicinior esset Eminentissimus D. Cardinalis et Episcopus Olumucensis Comes a Schrottenbach, Curiam nostram in Enzerstorff inhabitandam ad tempus sibi concedi humaniter postulavit, proinde praefatam Curiam 18. Maii incolere coepit et octava Junii ex eadem Curia recessit.

Gaudio superabundat magno Austria universa de ter fausto Augustissimae Imperatricis regnantis adventu, quae Barcellona Viennam redux absque omni pompae solennitate est adducta; die vero sequenti in Cathedrali Ecclesia S. Stephani ob iter feliciter consummatum Te Deum laudamus solenniter cum tormentorum explosione ex omnibus civitatis moeniis fuit decantatum. Sapientis sanitatis consilio et mandato Excelsi regiminis denuo scholarum frequentationes propter quosdam studiosos peste infectos sunt interdictae. Interea tamen tempore ordinario more solito tam Baccalaureorum quam Magistrorum philoquiae promotio solenniter est peracta et disputationes scholasticae publice sunt celebratae.

Continuante contagionis et vitae periculo ferventior ad Deum oratio ab hominibus effunditur, ne contagiosa lue contaminarentur, frequentione peccatorum expiatione suas emundant conscientias, ut de animae salute consequenda essent securiores.

Sapienter et propria ordinatione pro salute animarum D. Gerardus hoc pestis tempore impertita paterna benedictione exponit P. Alanum et P. Henricum pro suspectis de contagiosa lue eademque infectis. Religiosi hi expositi, ut a Ven. Conventu et clauastro essent sequestrati, habitatio extra monasterium commoda in nova domo pro eis assignatur, alimento vini et sibi provide sustinentur, officium divinum in ecclesia parochiali<sup>1)</sup> rite persolvunt conclusis undique portis maioribus; ne tamen animae spirituali solatio defraudarentur, in praefata ecclesia parochiali effringitur murus occidentem versus pro aptanda fenestra maiori, ut ante fenestram genua flectentes, distantes homines officiis divinis commode interesse possent.

Vigesima Octobris vindemiatio in Tallern<sup>2)</sup> est coepta, die 25. eiusdem finita. Mustum valde modicum propter uvas plerasque immaturas acerbum et leve collectum. Nihilominus D. Gerardus de manu Domini patienter suscipit eique grates rependit.

Siquidem bovi trituranti os non ocluditur, eo magis censendi sunt operarii digni mercede sua. Ne itaque in alimento religiosorum esset defectus, D. Gerardus muneri Abbatiali satisfaciens, provide tecta reparat Trumoviensis arcis<sup>3)</sup> ab iniuriosa temperie satis trita sicque tecta arcis, molendini, villae, horreorum novis scandulis ex integro sunt reparata et restaurata; columbarium

<sup>1)</sup> Stand im Weichbilde des Klosters und war St. Nicolaus geweiht, seit 1800 demoliert.

<sup>2)</sup> Stiftliche Herrschaft an der Südbahn bei Baden.

<sup>3)</sup> Eine Schenkung Leopolds V. in der Nähe Badens.

novum exstructum. Haec omnia sub cura praefecturae P. Bernardi similiter thermae in nostra curia Thermopoli<sup>1)</sup>, quamvis prioribus annis sub P. Edmundo tunc temporis praefecto in Trumau ex fundamento erectae, attamen abundantior aquae frigidae vena callidam superabat aquam, ut necesse fuerit, venam minuere frigidam, ut thermae redderentur callidiores atque ad balneandum aptiores: In tantum fuit praecautum thermis, ut eis commodius uterentur balneantes. Praeterea in praefata curia pro maiori commoditate cubacula plura sunt aptata, ut D. Gerardus Abbas commodius valeat inhabitare. Vineae adiacens sepibus securitatis causa noviter circumcincta. Curiae nostrae quoque in Pfaffstetten<sup>2)</sup> erat praecavendum in reparandis tectis, quae sub D. Clemente ab invasione Ottomannorum flammis absumpta et reparata est a. 1686. — Magni hoc anno sumptus pro sartis tectis adhibiti; ex hoc patet nihil hoc in mundo stabile, nihil esse durabile; praeterit enim figura huius mundi, alia advenit. Vita humana est arundo, quae ventis miseriae concutitur; quasi flos egreditur et conteritur et fugit velut umbra et nunquam in eodem statu permanet. Arundo fuit R. P. Franciscus Thill<sup>3)</sup>, flos virentis aetatis, vir magnae spei, doctus, castus, sobrius, pudicus fuit, sed impia mors florem contrivit 20. Februarii, fugit velut umbra et nusquam comparet.

Annua solita primâ Januarii eleemosynae distributio ob contagii periculum fuit translata in vigesimam secundam Aprilis diem; interea tamen admissi fuerunt ad templum claustrale saeculares ex locis purificatis Nundinae in Ratschino<sup>4)</sup> celebratae et habita est concio in templo claustrali hucusque intermissa. Decima nona Februarii ventus vehementissimus per octo dies durans diversis in locis tecta disruptit, arbores in silvis deiecit aliaque non modica causavit damna. Vigesima secunda Aprilis eleemosyna, alias in novo anno distribui solita in dominica „Jubilata“ fuit translata copiosissime accurrentibus hominibus. Tertia Junii Thermopoli Austriae pro exstruenda ibidem ex voto<sup>5)</sup> columna in honorem SS. Trinitatis D. Gerardus indutus Pontificalibus primum lapidem fundamentalem solenniter benedixit et fundamento imposuit cooperante Illustrissimo D. Comite de S. Juliano, supremo falconum Caesareorum praefecto, commissario a sua sacra Caesarea Maiestate ad hoc deputato. Tempus enim ubi adfuit descendendi in foveam fundamenti, primus descendit D. Caesareus Commissarius, secundus

1) Baden, das »Thermae Cetiae« der Römer; das stiftliche Anwesen daselbst musste anfangs dieses Jahrhunderts veräußert werden.

2) Stiftliche Pfarre bei Baden.

3) War 1810 als Subprior in Lilienfeld aufgestellt worden.

4) Der zühöchst gelegene Theil der Ortschaft Heiligenkreuz führt diesen Namen.

5) Eine sog. Pestsäule, wie eine solche auch für Heiligenkreuz geplant war, die aber erst unter Gerhards Nachfolger, Robert, errichtet wurde.

D. Gerardus cum suis ministris religiosis. D. Caesareus Commissarius inferius existens accepta trulla caementum lapidi adiecit; idem fecit D. Gerardus. Caemento adiecto murarius lapidem fundamento imposuit: hoc posito D. Caesareus Commissarius inferius excavationi lapidis numismata duo, aureum unum, alterum argenteum cum effigie Imperatoris Caroli VI. una ex parte cum inscriptione voti facti, urbis, anni, diei, quo ista peracta. Numismatibus apposita fuit lagenula vitrea oleo garceolae impleta; excavatio laminâ tecta, primo stanneâ cum descriptione actûs: inde cooperculo lapideo, quod D. Commissarius Caesareus caemento primus firmavit, post illum similiter D. Gerardus; firmatum autem operculum quilibet eorum, primus quidem D. Commissarius Caesareus, secundus autem D. Gerardus Abbas mallei novi caementarii tribus ictibus, duobus superius, uno inferius percusserunt. His peractis omnes ex fundamento ascenderunt hymnoque „Veni Creator“ a D. Abbate Gerardo intonato cum Collecta una finito, „Te Deum laudamus“ sollemniter decantatum, D. Abbate intonante: eoque cantu finito et versu Collecta altera ultima et sollemnis benedictio data populo; et sic huic actui finis impositus cum magno populi affluxu. D. Abbas paramentis indutus Pontificalibus in camera sibi constructa iuxta fundamentum efossum, e cuius regione<sup>1)</sup> D. Commissarius Caesareus suam stationem habuit; D. vero Parochus processionaliter ex templo parochiali advenit civesque reliqui in armis comparuerunt.

Vigesima Septembris vi decreti Excelsi regiminis facit Campilili inquisitionem ratione regiminis D. Abbatis. Ibidem negotio 22. et 23. Septembris peracto post prandium regressus ad monasterium S. Crucis. Vindemia plerisque in locis exigua. — Vigesimâ octavâ huius instituta fuit disputatio philosophica in cubiculo hortensi bibliothecae vicino circa horam secundam sub clangore tympanorum et tubarum praesente Rmo. Abbate D. Gerardo, praeside P. Christophoro Rosenberger, defendentibus Fratribus Ladislao Frieweis, Rocho Böhm et Mariano Dyckmanns; quos oppugnarunt duo R. Patres societatis.<sup>2)</sup> R. P. Octavianus Bucelleni, facultatis philosophicae Viennensis Universitatis decanus, et R. P. Panigalli, metaphysices professor, quibus tertius accessit praenobilis D. Rosenberger, frater Patris nostri Christophori. —

Sic quamvis grassante ubique terrarum pestilentia varia vario modo ordinata ac disposita sunt nil curantibus monachis, quomodo mortem effugiant; nam inter eos valet illud poetae: Media vita in morte sumus; quapropter etiam angelus pestilentiae, quia omnes erant parati, monasterium praetergressus est, ita ut uno excepto omnes salvi facti sint.

<sup>1)</sup> Ihm gegenüber.

<sup>2)</sup> Hier ist »Jesu« zu ergänzen.